

No. 617. 1372. 30. Aug.

*Die Burggrafen Meyner und Bertold eignen dem Hochstift in Grusewitz erkaufte Geld- und Naturalzinsen.*

In nom. dom. amen. Cum omnia et singula etc. Nos igitur Meynerus et Bertoldus dei gratia burggravi sacri imperii in Misna et comites in Hartinsteyn ad universorum tam praesentium quam futurorum discretionem praesentium serie litterarum cupimus pervenire, quod strenuus vir Johannes de Stuchow de consensu et bona voluntate suorum heredum ac bona deliberatione praehabita quatuor sexagenas et triginta octo grossos Fribergenses, viginti pullos et duas sexagenas cum dimidia ovorum annui census siti in villa et in pago villae Grusewicz<sup>a)</sup> districtus Misnensis in parrochia villae Stuchow, quem censum singulis annis solvunt, solverunt et solvere consueverunt infra scripti rustici eorumque heredes in eadem villa Grusewicz residentes: Martinus de Grusewicz eiusque heredes de duobus mansis in festo Michaelis octo solidos grossorum Fribergensium cum septem grossis et quatuor pullis, idem in festo Walpurgis septem grossos, in festo pascae unam sexagenam ovorum, in carnisprivio quatuor pullos; Henczil Wusteland de uno manso quatuor solidos grossorum Fribergensium cum quinque grossis in festo Michaelis et septem grossos in festo Walpurgis, similiter duos pullos in festo Michaelis et duos in carnisprivio, in festo pascae dimidiam sexagenam ovorum; Mattheus de Grusewicz de duobus mansis quatuor solidos grossorum cum dimidio in festo Michaelis et quatuor pullos, item quatuor pullos in carnisprivio, in festo pascae unam sexagenam ovorum, item in festo Walpurgis quatuor solidos grossorum cum dimidio, quem censum dictus Johannes de Stuchow a nobis in feudum tenuit — pro octoginta tribus sexagenis et viginti quatuor grossis Fribergensibus eidem Johanni de Stuchow et suis heredibus integraliter solutis vendidit venerabilibus viris dominis Heynrico praeposito, Nycolao decano totique capitulo ecclesiae Misnensis. Quem quidem censum idem Johannes constitutus coram nobis in manus nostras libere resignavit, renuncians — wie No 581 —. Et quia memorati domini .. praepositus, .. decanus et capitulum iam dictum censum cum aliis obventionibus et oblegiis conferri — ipsis et ecclesiae praedictae petierunt, nos — dictis dominis — contulimus et in possessionem eorundem bonorum ipsos mitti mandamus, et quantum in nobis fuit misimus et induximus unientes, donantes et — censum et bona cum areis aedificatis seu aedificandis, cum omni iure utilitate et fructu — tenore praesentium libere appropriantes capitulo et ecclesiae memoratis, iusque nostrum, quod in censu seu bonis praedictis nobis et heredibus seu successoribus nostris competebat vel quocumque modo de iure vel de facto competere posset, in capitulum et ecclesiam Misnensem praedictam transferimus pleno iure, nihil iuris nobis et heredibus seu successoribus nostris — penitus reservantes. In quorum omnium robor et evidens testimonium sigilla nostra praesentibus duximus appendenda praesentibus et testibus strennuis et honestis viris Johanne de Milticz, Hermanno de

a) Grauswitz, Par. Staucha.